



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. II. Solvuntur objectiones

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

substantialis, quia virtus substantialis reddens A
personalitatem naturalem capacem terminandi
alienam naturam, esset vera subsistentia, utpote
supernaturalis participatio subsistentiæ divinæ,
cui soli naturale est posse terminare alienam natu-
ram, & sic non una tantum sed duplex esset
subsistentia in eadem persona creata, quod im-
plicat; & destrueretur hypothesis huius quæstio-
nis, quæ quæritur an unica subsistentia creata
plures natures terminare possit.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio:
127. Si in terminatione subsistentiæ haberet locum
distinctio potentiæ ordinariæ & extraordinariæ,
naturalis & obediens, seu causa principalis
& instrumentalis; vel subsistentia terminando a-
lienam naturam de potentia Dei absoluta, hoc
præstaret ut causa principalis, vel ut instrumen-
talis à Deo elevata? Non hoc secundum, quia sic
foret necessarium quod Deus ipse ut causa prin-
cipalis, concurreret ad hanc eandem termina-
tionem, hypostaticè informando ut causa prin-
cipalis illam eandem naturam, cum effectus & cau-
salitas causa instrumentalis converjat etiam
principali. Neque etiam primum, quia ut causa
principalis non potest subsistentia elevari extra
suum specificativum: sic autem est quod specifi-
cativum subsistentiæ angelicæ v. g. est natura an-
gelica: Ergo non poterit subsistentia Angeli e-
levari ad terminandum in genere causæ principa-
lis naturam humanam.

128. Aliter probat Cipullus Majorem principalem,
quæ asserit quod sola personalitas infinita potest
alienam terminare naturam. Sic enim arguit hic
art. 1. dubio unico num. 11. Sola personalitas per
se subsistens potest alienam terminare naturam:
Sed personalitas per se subsistens, hoc est nulli
alteri inhærens, necessariò est infinita: Ergo sola
personalitas infinita alienam valet terminare natu-
ram. Minorem ut certam supponit, Majorem
verò sic ostendit. Personalitas omnis quæ non est
per se subsistens, est entitas incompleta & moda-
lis: Sed eo ipso quod sit entitas modalis, non pos-
test communicari rei distinctæ ab illa cuius est
modus, ut patet variis exemplis supra ex Suarez
adductis: Ergo sola personalitas per se subsistens
potest alienæ uniri naturæ, illamque terminare &
subsistentem reddere.

129. Sed hic discursus non urget, quia nititur sen-
tentiæ quæ asserit personalitatem creatam, seu
per se non subsistentem, in modali entitate con-
sistere: hæc verò sententiæ, licet probabilis sit,
non est tamen certa, nec à Theologis unanimi-
ter recepta, sed à Cajetano & pluribus aliis Tho-
mistis rejicitur. Unde huic rationi, ut præcipuè
& fundamentaliter, immeritò Cipullus confidit, o-
mnibus aliis reiectis & confutatis.

130. Ex dictis inferes contra Valentiam, non so-
lum personam creatam, sed nec etiam creabilem,
posse alienam terminare naturam: nam persona
cujus propria personalitas non sit infinita, non
potest alienam naturam terminare, ut multis o-
stendimus: At nec persona creata, nec creabilis,
potest habere subsistentiam & personalitatem in-
finitam: Ergo nec persona creata, nec
creabilis, potest alienam terminare
naturam.

Contra nostram conclusionem, & rationem
fundamentalem illius, à D. Thoma infinita-
tæ sub hac forma proponi possunt instantiæ,
quæ sub hac forma proponi possunt. Terminatio
naturæ alienæ infinitatem in persona terminante
non exigit: Ergo male ex isto capite negatur
possibilis personalitati creata. Consequentia pa-
tet, Antecedens probatur primò. Divina perso-
nalitas, prout ab essentia distincta, infinita non
est, & tamen terminat plures natures de facto, &
infinitas potest terminare: Ergo terminatio a-
lienæ naturæ infinitatem in personalitate termina-
te non exigit. Cõsequentiæ manifesta videtur, An-
tecedens verò sic ostenditur. Si personalitas ra-
tione sui, prout ab essentia distinguitur, esset in-
finita formaliter, sequeretur aliquam infinitatem
convenire Patri, quæ Filio non conveniret, &
converso; nam Patri conveniret infinitas pater-
nitatis, quæ Filio non conveniret; & Filio infinitas
filiationis, quæ non conveniret Patri: Sed hoc dici
nequit, aliàs Patet infinitus in omni linea non es-
set, nec Filius similiter: Ergo personalitas ratio-
ne sui, prout ab essentia distinguitur, infinitatem
non dicit.

Secundò principale Antecedens suadetur: Ter-
minatio alienæ naturæ non est effectus infinitus:
Ergo non petit infinitatem in forma illum po-
tente præstare.

Tertiò, Sufientatio alieni & extranei acciden-
tis, non petit infinitatem in subiecto sustentante:
anima enim gratiam sustentat, quæ accidens a-
lium est, non connaturale: potest etiam sub-
stantia creata recipere & sustentare nedum con-
naturalia & sibi propria accidentia, sed etiam il-
la quæ sibi propria non sunt, & alteri subiecto
debentur: Ergo pariter terminatio aut sustentatio
alienæ naturæ, infinitatem non arguit in per-
sona terminante.

Quartò, Terminatio alienæ naturæ non petit
quod personalitas terminans contineat in se &
minenter personalitatem propriam naturæ quam
terminat: Ergo non petit infinitatem in illa. Con-
sequentiæ patet ex dictis paragrapho præceden-
ti, Antecedens verò probatur. Persona alienam
naturam terminans, non præstat eundem effec-
tum quem illi personalitas propria præstaret:
Ergo non requiritur quod persona alienam na-
turam terminans, illius personalitatem eminenter
contineat. Consequentia manifesta est, nam
continentia eminentialis formæ, solum requiritur
ad præstandum illius effectum formalem. An-
tecedens autem ostenditur primò. Ex personalita-
te aliena, & natura terminata, diversè refultaret
persona ab illa quæ refultaret ex eadem natura &
propria personalitate: Sed effectus personalitatis
est persona: Ergo personalitas alienam naturam
terminans, non præstat effectum formalem per-
sonalitatis propriæ. Secundò probatur: Persona-
litas divina unita humanæ naturæ, constituit per-
sonam increatam, propria autem personalitas per-
sonam creatam constitueret: Ergo divina per-
sonalitas terminans humanitatem, non præstat
effectum formalem personalitatis propriæ, &
consequenter personalitas creata terminans a-
liam naturam, non præstaret effectum formalem
à propria personalitate præstandum.

Deniq; Sol continet eminenter effectus causæ
rum

rum inferiorum, & tamen est aliud finitum in se. Ergo similiter non repugnabit dari aliquam personalitatem superioris & eminentioris ordinis quæ contineat virtutem personalitatum inferiorum, & sic possit terminare inferiores naturas, licet in se finita & creata sit.

Pro solutione primæ instantiæ, recolendum est ex dictis supra art. 3. personalitatem divinam duo præstare naturæ aliæ quam terminat, nimirum perfectatorem independentiæ, & perfectatorem incommunicabilitatis; quorum primum, quia perfectio est, & personalitas divina in propria linea perfectionem non dicit, præstat non ratione illius quod explicat, sed ratione substantiæ absolute quam implicat. & transcendentaliter includit: hæc autem infinita perfectio est, ac proinde personalitas divina, ratione illius potest infinitum effectum præstare. Nec sequitur infinitam aliquam perfectionem convenire uni personæ quæ alteri non conveniat, quia substantia absoluta, una & indivisibilis est, quamvis realiter transcendentia in tribus personalitatibus includatur. Secundum autem, nempe perfectatorem incommunicabilitatis, præstat personalitas divina ratione illius quod explicat, additque supra lineam absolutam, quia hoc perfectionem non dicit, ac proinde præstari potest à personalitate divina, ratione illius quod explicat; quamvis ratione illius perfectionem non importet: adhuc tamen sub hac consideratione personalitas divina habet quandam rationem infinitatis, non quidem perfectionis, sed in ratione terminandi naturam; tum quia primò terminat naturam divinam quæ infinita est, tum etiam quia in ordine ad naturam creatam, habet vim terminandi infinitum syncategorematicè, & inextrahibilem à natura terminabili. Hoc præmissis.

Ad argumentum respondeo negando Antecedens, ad cuius primam probationem, distinguo Antecedens, divina personalitas, prout ab essentia distincta, non est infinita infinitate perfectionis, concedo Antecedens. Infinitate terminativâ in linea incommunicabilitatis, nego Antecedens, & Consequentiam. Ad probationem verò Antecedens, quatenus distinctioni traditæ obstat potest, distinguo sequelam Majoris. Si personalitas ratione sui, prout ab essentia distinguitur, esset infinita formaliter, sequeretur aliquam infinitatem perfectionis convenire Patri, quæ Filio non conveniret, nego sequelam. Aliquam infinitatem terminationis, concedo sequelam, & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Nam est sit inconveniens quod aliqua infinita perfectio competens Patri, non competat Filio, & contra, quod tamen infinitas aliqua in linea non dicente perfectionem conveniat uni & non alteri, nullum inconveniens censeri debet. Sicut quamvis inconveniens censetur à pluribus nostris Thomistis, quod perfectio aliqua Patri conveniens, non competat Filio, & contra: quod tamen entitas aliqua Filio conveniens, non conveniat formaliter Patri, nempe filiatio, inconveniens non censetur, sed necessariò debet ad omnibus ut veritas catholica admitti.

Ad id autem quod in argumento additur, nempe sequi nostram sententiam Patrem non esse in omni linea infinitum, dicatur Patrem ratione paternitatis non esse infinitum in omni linea, sed tantum in propria paternitatis, unde in hac parte nullum inconveniens est quod illi infinitas filia-

tionis non competat: ratione verò naturæ esse infinitum in linea naturæ formaliter, & identicè in omni, quia natura divina cum omnibus quæ in Deo sunt, sive absolutis, sive relativis summam habet identitatem, unde etiam est identicè infinita infinitate filiationis; quia tamen hanc infinitatem non petit natura divina, prout in qualibet persona, necessarium non est ut illam communiceat Patri, sicut nec infinitatem propriam paternitatis communicat Filio.

Ad secundam probationem Antecedentis principalis, distinguo Antecedens: Terminatio alienæ naturæ non est effectus infinitus in ratione entis, concedo Antecedens. In ratione effectus formaliter, nego Antecedens, & Consequentiam. Ut enim in causa ex effectu arguatur infinitas, non requiritur quod effectus sit entitativè infinitus, sed sufficit quod in ratione effectus infinitus sit, ut constat in termino creationis, qui entitativè infinitus non est, & tamen petit in causa creatante infinitatem. Constat etiam in gratia habituali, quæ finita est in genere entis, & tamen petit infinitatem perfectiorem in causa principaliter effectiva illius, ut in Tractatu de Gratia disp. 4. art. 1. ostendimus.

Ad tertiam probationem, concessio Antecedente, nego Consequentiam & paritatem: Ratio verò discriminis est, quia subiectum sustentat & recipere potest accidentia ratione potentie obedientialis, eò quod possit materialiter causare formas supernaturales, pene ordinem ad quas potentia obedientialis constituitur, ex effectu autem ab aliqua causa præstabili per potentiam obedientialem, non colligitur infinitas forma autem cum nequeat in genere causæ formalis effectum sibi supernaturalem causare, non potest id quod præstat in genere causæ formalis, præstare per potentiam obedientialem, sed necessariò ad omne quod causat formaliter, comparatur per vim & potentiam sibi connaturalem; unde cum personalitas in ordine ad terminationem naturæ concurrat in genere causæ formalis, si alienam terminaret naturam, id præstaret per potentiam connaturalem, ex quo infinitatem colligi constat ex dictis paraphrasi præcedenti.

Ad quartam nego Antecedens, ad cuius probationem, distinguo Antecedens. Persona alienam naturam terminans, non præstat formaliter eundem effectum formalem, quem illi personalitas propria præstaret, concedo Antecedens. Non præstat eundem effectum formalem eminenter, nego Antecedens, & Consequentiam. Ut enim requiratur in personalitate terminante alienam naturam contentia eminentialis personalitatis propriæ, sufficit quod terminando alienam naturam suppleat effectum personalitatis propriæ, & præstat eundem effectum formalem eminenter, quamvis non præbeat eundem effectum formalem formaliter: præstat autem eundem effectum formalem eminenter, est quod mediâ personalitate alienâ existat & conservetur natura, quæ de se petebat personalitate propriâ & sibi connaturali existere & conservari; & quia hoc præstatur à personalitate alienâ, consequens fit, ut tribueret effectum personalitatis propriæ, non formaliter sed eminenter. Contra quam doctrinam non urgent probationes in contrarium, quæ solum probant non præstare eundem effectum formalem formaliter.

Ad quintam, concessio Antecedente, nego Con-

consequentiam, & paritatem, Sol enim & alia causa universales continent effectus causarum inferiorum, eminentiā imperfectā, & se extendente solum ad rationem aliquam communem & genericam, purā rationem viventis, aut corporis corruptibilis: substantia verò terminans plures naturas, debet earum substantias eminenter continere, secundum proprias & distinctas earum rationes, quod nulli substantia creatā cōpetere potest; quia cum substantia sit terminus naturae creatae, non potest maiorem perfectionem habere, quam natura à qua dimanat, ab illa enim habet determinatam speciem & perfectionem: unde sicut nulla natura creatā eminenter continet aliarum naturarum perfectiones específicas & individuales: ita nec ulla substantia creatā perfectionem alterius substantiae eminenter continere valet, sed hoc proprium & peculiare est substantiae & personalitati divinae, quae quia terminat naturam divinam, omnium naturarum perfectiones eminenter continet, omnium substantiarum creatarum & creabilium perfectiones eminenter continet, secundum proprias & distinctas earum rationes, & ex hoc redditur apta & potens ad terminandam quamcunque naturam creatam & creabilem.

DISPUTATIO IX.

De Natura assumptibili & assumpta.

Ad quest. 4. & 5. D. Thomae.

Postquam egimus de extremo assumente, & potente assumere naturam creatam, superest ut extremum assumptum, & assumptibile contemplerur: de quo S. Doctor quaestione quartā & quintā.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum quaelibet natura substantialis completa, sit assumptibilis à Divina Persona?

§. I.

Quibusdam praemissis difficultas resolvitur.

Suppono primò, naturam substantialem completam dividi in purè spiritualementem, qualis est natura angelica, & in purè corpoream, qualis est natura brutorum, & vegetabilium, ac non viventium, & mixtam ex spiritali & corporea, qualis est natura hominis.

Suppono secundò ut indubitatum, naturam humanam esse assumptibilem à Persona Divina, fuit enim de facto assumpta, ut fide mysterii Incarnationis docemur. Unde solum potest esse difficultas de natura angelica, & de natura purè materiali & corporea, an scilicet utraque sit à Persona Divina assumptibilis? Circa quod tres versantur sententiae. Prima negat posse naturam angelicam à Deo hypostatice assumi. Hæc tribuitur Alberto Magno in 3. dist. 2. art. 2. Secunda docet naturam irrationalē & purè corpoream non esse assumptibilem, etiam de potentia absoluta. Pro hac referuntur quidam antiqui, ut Alensis, D. Bo-

naventura, Henricus, quos secutus est Pictus Mandulanus in sua Apologia, in defensione quædam propositionis. Tertia tandem & communis sententia docet, non solum naturam humanam, verum etiam angelicam, & irrationalem, assumi posse à divinis Personis. Unde

Dico primò: Natura angelica assumptibilis est à persona divina.

Probant aliqui hanc conclusionem ex illo Apostoli ad Hebræos 2. *Nisquā angelos apprehenderet, sed semen Abrahæ*: cum enim (inquiunt) intencum Apostoli, juxta communem Patrum doctrinam, sit charitatem Dei erga homines per hoc commendare quod naturam humanam, non verò angelicam assumpserit, debet necessario supponere possibilem fuisse naturae angelicae assumptionem: alias enim nullum omnino esset Apostoli argumentum, quia facile posset ei responderi, naturam non esse quod Deus relicta naturā angelicā, humanam assumpserit, quandoquidem angelica non erat assumptibilis.

Verum licet hic discursus circa doctrinam Apostoli, efficaciter probet naturam Angelicam potuisse saltem ad existentiam divinam assumi, non tamen efficaciter concludit, quod ad substantiam Dei assumi poterit; sufficit enim ad commendandam charitatem Dei erga homines magis quam erga Angelos, quod licet natura angelica, potuerit assumi ad divinam existentiam, tam tamen defecto ad illam non assumpserit Deus, bene tamen naturam humanam.

Probatur ergo efficacius nostra conclusio ex D. Thomae art. 1. ad 3. ubi postquam tenuit opinionem quorundam Theologorum asserentium naturam angelicam non posse in unitatem divinam personae assumi, nisi destrueretur propria personalitas, idque oblatre ejus incorruptibilitati, impugnat hanc doctrinam dicendo quod hoc non videtur excludere totaliter congruitatem assumptionis naturae angelicae; *Potest enim Deus (inquit) producere novam naturam angelicam, copulare eam sibi in unitatem sibi in unitatem personae*. Ex quibus sic argumentor: Naturam angelicam assumi in unitatem divinam personae, est eam assumi ad personalitatem sive ad substantiam divinam: Sed ex D. Thomae citato, potest natura Angelica assumi in unitatem divinam personae: Ergo & ad substantiam divinam.

Probatur secundò conclusio ratione fundamentali. Non alia ratione in natura humana est ad assumptionem capacitas, nisi quia distinguitur realiter à sua personalitate, & consequenter potest illā vel destructā, vel non consecutā, terminari per substantiam Verbi, in qua propria personalitas eminenter continetur: At etiam personalitas Angeli realiter ab illius natura distinguitur. Ergo etiam natura angelica ad divinam potest assumi substantiam. Major patet, Minor verò (præterquam expresse docetur à D. Thomae quodlib. 2. quæst. 2. art. 4.) potest breviter hanc ratione suaderi. Ratio distinguendi suppositum à natura in hominibus, vel est limitatio naturae, ob quam indiget complemento realiter distincto ut existat, vel est capacitas receptiva ut quod existentiæ & accidentium, competens immediate supposito, & repugnans naturae, ut asserit D. Thomas quodlibet citato: Sed utraque hæc ratio militat in natura angelica, est enim limitata & finita, ac incapax recipiendi ut quod existentiæ & accidentia, supposito quod hæc incapacitas naturae humanae conveniat: Ergo eadem ratio ob-